

REVERENDO VIRO, DOMINO FRANCISCO

SCHILLINGIO, CATHEDRALIS ECCLESIAE

Moguntinensis Vicario, salutem plurimam perpetuamq; in Christo precatur Conradus Weis.

Non tantum libri declarauere prophani,
Musica quod multis sit celebranda modis:
Biblia verumetiam caelesti numine scripta,
Hanc sub stelligerum laude tulere polum.
Hac Francisce tibi fert castae gaudia mentis,
Hac velut est capiti sancta corona tuo.
Hanc adeo deamas, ut non modo carmina quaeris
Cum doctis certes concinuisse viris.
Ipse sed haec etiam componas ubere vena,
O vir Musicolae portus & aura chori.
Hinc tibi Coruinus Musarum & noster amicus,
Hac cygnea mele motus amore dicat.
His fruere, & nostri, velut es, memor esse memento,
Namq; nec immemores nos iuuat esse tui.
Meilandiq; memor, quae Cantica pectore prompsit
Conio, gratæ suscipe mentis opus.
Sic diuina tuas celebrabit Musica laudes,
Auratam & feriet letus Apollo chelyn.

AA 3

CLARIS.

146